

simo ducentesimo octuagesimo nono. Tercio Idus Iunij. Regni autem nostri anno decimo octauo.

(*A tergo scriptura antiqua: Confirmatio priuilegiarum et Jurium patronatus super eligendum episcopum Corbauensem et episcopum Segniensem.*)

✠✠✠✠ ✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠.

Orig. membrana in Archivio Regni Croatiae. N. R. A. Fasc 316. N. 5.

LXXVII.

Anno 1293. die 12. Maji. Spalati.

Archiepiscopus Spalatensis totius Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Primatum habuit.

Johannes diuina Misericordia Spalatensis Archiepiscopus, totius Dalmacie, Croacie, Sclavonieque Primas. Ven. Fratri D. N. per eandem Episcopo Scardonensi salutem in Domino. Testante Sacro Concilio Anno preterito in Spaleto celebrato, ordinasse ac firmiter precepisse recolimus, quod nullus suffraganeorum nostrorum, in prejudicium alterius, Clericos alterius Diocesis ad sacros ordines promouere, aut alia Ecclesiastica et Episcopalia sacramenta ministrare presumat, sub pena D. librarum, sed sue diocesis finibus sit contentus. Quod preceptum, et tam salutare statutum, Ven. Frater noster G. (Gregorius) Dei Gratia Traguriensis Episcopus, in festo B. Dompnij, presentibus nostris sufraganeis et universo Clero, vos infregisse graviter nobis est conquestus, dicens: vos Sibenicenses Clericos ad sacros ordines promovisse, ac eis crisma contulisse, nec non baptisma parvulorum, ac alia Sacramenta Ecclesiastica et Episcopalia celebrasse, in sui prejudicium et gravamen; cum dicti Clerici Sibenicenses, et totum Sibenicum subjecti sint de jure Episcopo et Episcopatu Traguriensi; excusantes vos etiam, omnia supradicta nostro mandato et autoritate fecisse; hanc totam suam querimoniam nobis impingendo, et contra nos convertendo, plurimum nobis, quin potius supra modum debitum extitit infestus et molestus, tanquam graviter sauciatus, et afflictus. Et si bene recolitis, cum nuper in societate Pauli Bani ad nos accessistis, super eodem facto non solum a Tragurinis sed etiam a Spalatensibus gravissimas lamentationes, et terribiles conquestiones, in presentia D. Potestatis Spalatensis et omnium nobilium Spalatensium, non absque magno nostri cordis dolore, et multi certaminis agone, opprobria etiam contra nos rigida et dura, aspera et molesta appellacione audivimus. Super quibus omnibus graviter afflictus, et perturbatus, ad instantiam et preces multas omnium Suffraganeorum nostrorum, qui presentes in festo S. Dompnij extiterunt, taliter vestre fraternitati scribimus, et